



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliatio Imperiali Aulico Gravissimo, Deque  
Repub. Meritissimo Viro Illvstri D. Johanni Helvico Sinolt dicto Schütz/  
Domino ac Patrono meo observandissimo Felicitatem ...

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

(O)

\* \* \* \* \*

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS  
 CONSILIARIO IMPERIALI AULICO  
 GRAVISSIMO, DEQUE REPUB.  
 MERITISSIMO  
 VIRO ILLUSTRIS  
 D. JOHANNI HELVICO  
 SINOLT dicto Schütz


*Domino ac Patrono meo observandissimo*

FELICITATEM PERENNANTEM!



St è Viris doctis, qui Angliam olim, eo ipso tempore, quo Franciscus Baconus Baro de Verulamio in culmine dignitatum suarum adhuc constitutus, postmodum verò, annon suo & rei literariæ commodo, dubitatur, inde dejectus & vitam & Angliæ Cancellarium egit, cum peragraret, ad Amicum suum in Germaniam literis perscripsit: *Deum se testari, se in illo*

*Europæ angulo nullos invenisse homines, nullos inquam, sed profectò meras GRÆTIAS.* Non invidebunt hæc Anglorum, qualia qualia sint, tempora, illis prioribus suam felicitatem vel ingeniorum subtilissimorum fertilitatem, quin potius illum, quicumque fuerit, vera scripsisse, calculum suum addent, & hinc suæ Nationis laudi non parum accessisse, pro Exemplo adducent Magnum illum Angliæ Cancellarium Franciscum Baconum, Virum, quod ingenii sui testantur monumenta juris, in primis Anglicani, peritissimum Philosophum omni ex parte verum, Eloquentiæ autem laude incomparabilem. Hujus ego opera omnia & singula, quæ quidem illo vel in vivis existente, maxima ex parte in Anglia, vel post illius obitum apud Batavos passim divulgata fuerunt, uno comprehensa fasciculo & in unum congesta, imò conquisita volumen, cum typis describi curaverim, de Patrono, cujus nomini tanto operi condigno, illud inscriberem, dispiciendum existimavi; Et verò, quamvis non nisi ab iis, qui Tecum paria faciunt, id est, à Viris æquè laudatis censerè merearis, cum tamen & inferioris subsellii homines, illorum, qui in superiori cavea (verbo utor olim in Circis cognito) sedent, Virtutes & exquisitas animi dotes mirentur, & hoc à se fieri, illos scire gestiant, eadem ratione, Tuarum ego indignus, non tamen iniquus æstimator, Tibi illud ritu antiquo & mutuatis ab ipso



Illustrissimo Autore ad Regem suum verbis, tanquam servus, non solum Muneris alicujus Tributum, sed & observantiae, ac Amoris (quod bona Tua Venia dixerim) signum & pignus donare, dare, dedicare constitui, obnixè rogans, illud ne despicias, sed æqui bonique consulas. Reliquum quod est, Deum Trinum veneror & exoro, ut salutaria tua consilia regat atque fortunet, ad salutem Sacri Imperii, utilitatem communis Patriæ ejusque civium commoda & emolumenta, ut hoc modo gloriam bonis omnibus applaudentibus Tua Virtute Tuâque Integritate partam, ad posteros factam tectam transmittas. Vale Vir illustris, & me inter Clientes Tuos si numerem, ne dedignare. Dabantur Francofurti ad Mœnum ipsiis Nundinis Autumnalibus A. R. S. M DC LXIV.

*Illustris Dominationis*

Tuae



*Devotissimus Clientis*

**Johannes Baptista Schönvetter**  
Bibliopola Francofurtensis.

VITA